

sum velut in momento continent ipsaque distinctis agminibus pro numero stellarum luce genuinâ micantium per modum variorum vorticum in orbem euntes corporibus mundanis luce genuina destitutis, terræ puta & planetis obscuris sibi velut innatantibus, motum cum largiantur, quem Astronomi tot vigiliis huc usque observatum certis legibus instruxerunt. Vid. Cartesii Principiorum Philosophiæ partem tertiam.

QUÆSTIO VII.

Quæritur, An Materia Cœli diversa sit à materia inferiorum? Negatur.

ANte omnia monendum, quod materia dupliciter possit considerari: (1.) *ratione suæ essentia*, quatenus nempe est pura potentia, & omni forma informante caret, estque primum subjectum omnium rerum naturalium, quæ in rerum natura sunt. (2.) *ratione formarum*, quibus substat: quando nos asserimus materiam Cœli esse eandem cum materia inferiorum, consideratur materia prima *prævi modo*. Ratio hujus asserti est manifesta. Nam quoties distinctio essentialis inter aliqua intercedit, requiritur, ut illa distinguantur vel per totam Essentiam, vel per id, quod ad Essentiam constituendam concurrat, sicut v. g. homo & equus essentialiter differunt, quia distinguuntur à se invicem per aliquid, quod ad Essentiam eorum spectat, nempe per differentiam, equus enim est irrationalis, homo autem rationalis. Sed in materia cœli tale quid non datur (quod scilicet ad materiæ Essentiam pertinet) per quod à materia inferiorum distinguatur. E. cœli materia à materia inferiorum non est diversæ rationis.



Coll. dess A. St. Mus. 2

